



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vsvardi Martyrologivm**

**Usuardus <Sangermanensis>**

**Lovanii, 1573**

Capvt VI. De Adone Treuirensi archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42790**

DE MARTYROLOGIIS,

Quod ad Manuscripta attinet, Lobij in indice excusa bibliotheca inter cetera inueni, Martyrologium Hieronymi, Martyrologium Bedae presbyteri, & Martyrologium metricè scriptum: seu, vt alius index habet, Martyrologium versificum cuiusdam Vuandallerti. Sed hæc An. 1546 fortuito incendio perierunt. Habent eum nostri quoque Martinenses, & Carthusiani Diestenses, iuxta antiquos indices. Sed apud neutros eum reperire potui. Quare quod mihi querenti infeliciter cessit, aliorum diligentia opto vt bene & cum felicitate succedat.

CAPVT VI.

De Adone Treuirensi archiepiscopo.

**V**andelbertum subsequitur septimo loco Adonem archiepiscopus Treuirensis. Quem Platina Odonem, Nauclerus autem Othonem, nuncupant. Miror huius non meminisse Sigebertum, de viris illustribus scribentem: nec Tritthemium in catalogo: cui tamen Germanus fuerit, & eius liber frequentissime citetur à Petro de natalibus, & in Additionibus ad Usuardum Colonie per Carthusiam An. 1515 & 1521. Hic vir, ait Aloysius, sanctissimus pariterque doctissimus, ante annos plus vel minus quingentos florere cœpit, à tempore Gregorij septimi: & ob vite sanctitatē tantæ (subdit ex Platina) extitit auctoritatis, vt ab eodem Pontifice ad componendas res inter Henricum & Rodolphum, qui de Romano imperio contendebant, vna cum duobus collegis, de latere sedis Apostolicæ legatus destinatus fuerit. Perro Adonis Martyrologium

Abp. 10. 4

quod Coloniae saepius manuscriptum extat, nusquam excusum scio, nisi in quarto tomo historiarum Aloysij. In quo volumine edendo, nos hunc tenuimus modum, ait Aloysius, ut vitæ, quæ vulgò in D. Hieronymi \* Martyrologio habentur, omnino prætereantur, cum in promptu sint omnibus, nisi eis additum aliquid reperiat: quæ autem ab Hieronymo non sunt positæ, hîc omnes sint insertæ. *Quanquam autem post tot veteres scriptores hic archiepiscopus Martyrologium conscripserit, non tamen in vacuum laborauit, quia ut ipse in Præfatione ait: In hoc opere ut dies Martyrum verissimè notarentur, qui confusi in Calendarijs inueniri solent, adiuuit venerabile & perantiquum Martyrologium ab vrbe Aquileia cuidam sancto episcopo à Pontifice Romano directum: & mihi ait, postmodum à quodam religioso fratre aliquot diebus præstitum. Quod ego diligenti cura transcriptum, positus apud Rauennam, in capite huius operis ponendum putauit. Passiones autem Sanctorum paulò longiùs Martyrologio huic inferui, infirmioribus fratribus & minus legere valentibus seruiens, ut ad laudem omnipotentis Dei in memorijs Martyrum haberent compendiosam lectionem, atque in paruo codicillo, quod multo labore alij per plures codices requirunt. Hæc Ado. Quanto autem iudicio, & fidelitate, Ado has compendiosas lectiones ex ipsis Martyrum gestis & prolixioribus sanctorum vitis verbatim transcripserit, facile intelliget qui has cum illis conferre volet.*

\* aut V-  
suardi. vs  
dictum est  
cap. 2.